

subidentibus in cœnobio Werdensi, ubi res gerebatur, cœpit uterque Deo preces supplices sternere, et tam ardentibus Elisabetha, ut adolescens sentiret non animum suum tantum cœlesti calore inardescere, sed ardorem etiam in corpus redundare, quem cum ferre vehementiorem non posset, rogavit, ut illa modum precandi faceret; sed perseverante, cœpit sudore profundi, toto corpore diffluere, æstuare, concidere, ut ab accurrentibus fuerit levandus, maxima voce inclamans Elisabetham, ut remitteret preces, alioquin in carbonem redigendus. Desiit illa precari, ille fervere, calorem imo ardorem adolescentis ancilla vix potuit sustinere, quæ manus illius tangebatur. Ipse ad S. Francisci familiam se mox contulit. » Ita Rad. in Bavaria s. p. 4. Verum sicuti camerarii principum non debent indiscrete uti clave illa, alioquin restringetur illis potestas: sic nihil oportet a Deo indiscrete petere. Idcirco ait S. Aug. in hom. super hodiernum evangelium, tract. CII. in Joan. addidisse Christum, ut in nomine ejus peteretur, propter eos, qui nonnulla petunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt, quia nimirum: *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* Ceterum ne oratio talis vacua prorsus abscedat, obtinebit a Deo aliquid melius quam petit. Sic enim pater filio discedenti ad studia dicit: *Scribe ad me omnia, quæ tibi necessaria fuerint, et ego providebo tibi.* Quod si tamen filius postea per litteras peteret sclopeta, gladios, pocula, chartas lusorias et aleas, librosque vetitos, nequaquam obtineret, sed saniora et meliora. Similiter agit Deus: *A quo, ut ait S. Bern. serm. V. in quadr. de triplici modo orationis, unum e duobus indubitanter sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius.*

VII. Meretur semper aliquid oratio devota, licet forte non impetret quod petit. Non fuit audita Pauli oratio, quando ter oravit ut auferretur ab eo stimulus carnis, habuit tamen meritum suum. Non ergo aufertur, quod oranti non conceditur, sed differtur, et in futuram mercedem commutatur, sicut cum quis vovet Deo ejusque Ecclesiis certam pecuniæ summam, pro sanitate, v. g. sua aut aliorum, vel curat dici missas, licet non impetret quod petit; non perit tamen meritum operis quod fecit, sed reponitur in cœlo.

VIII. Satisfacit pro peccatis, si labor aliquis accedat, v. g. si nocturna sit vel diurna, si fixis diu genibus, si extentis brachiis, si in frigore, etc. sic enim pœna penam tollit. Satisfacit autem non pro nostris tantum, sed pro aliorum etiam seu vivorum seu defunctorum peccatis. Prodesse orationem animabus purgantibus, exemplo ostendemus. An. 920. fato concessit

Sisinandus quartus Compostellanus episcopus, cujus tanta fuit fama sanctitatis, ut Joannes papa, opinor, decimus, per litteras et tabellarium proprium se precibus ipsius commendaverit. Mortuus est autem senio confectus. In cujus obitu voces auditæ sunt angelorum canentium: *Veni, electe Dei, intra in gaudium Domini tui.* Successit illi Gundesinus V. Compostellanus præsul, et comitis cujusdam filius: sed hic cuna mundo, quam Deo, magis deditus esset, vitam non satis pro fine clausisse dicitur. De qua re mater ejus, matrona pia, gravi confecta dolore, et de anima filii vehementer sollicita ante aram beatissimi Jacobi apostoli divinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, et fletibus, preceationibus, jejuniis, elemosynis sibi demereri, interposito S. Jacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo ejusdem apostoli vocem hanc audivit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse.* Ita habet Joannes Vesæus, in chronico Hisp. ad an. 920.

CONCIO IV.

CAUSÆ CUR INTERDUM NON AUDIANTUR PRECES
NOSTRÆ A DEO.

I. Defectus fiduciæ. — II. Non petimus ea quæ conveniunt. — III. Quia non ferventer petimus. — IV. Quia forte in peccatis hæremus. — V. Quia forte noxia petimus.

THEMA.

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. XVI.

Tantæ et tam manifestæ sunt promissiones Christi, orantibus factæ, ut mirum videatur quid sit quod tam raro, quæ petimus, consequamur. Quid clarius et præstantius hodierna promissione cum ait: *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Jam vero quam multi sunt, qui petita non assequuntur? Nos ipsi quamdiu pro pace et tranquillitate, principum unione et hæresum extirpatione supplicavimus? Quot litanias et processiones instituimus? Et tamen adhuc tempestas, adhuc bella et minæ. Quæ hujus rei causa et ubinam defectus? Certum imprimis est, non esse causam ex parte Dei, qui non potest non promissis stare. Ubi igitur defectus? In nobis utique, qui non petimus sicut decet, et Christus petendum præscripsit: *Petitis et non accipitis,* inquit Jacobus, *eo quod male petatis,* c. IV. ep. Qua in re attendenda sunt etiam verba Christi singula, non tantum sensus verborum, quomodo scilicet et qua lege promittat. Ideo, Joan. XV. signanter ait: *Si verba mea in vobis manserint, quodcumque*

volueritis, petetis et fiet vobis. Ergo si peteramus, quo modo insinuavit nobis Christus, nil esset, quod non impetraremus. Quare dum in hodierno evangelio jussit non petere, et promisit se nos auditorum, interim etiam docuit, quomodo rogari velit. Et quia in promissionibus mens promittentis advertenda est, pensanda sunt verba illa: *Amen, amen dico vobis, etc.* quod hic faciemus.

I. Non audimur, quia forte fiduciam in Deum non habemus, quam tamen requirit Christus cum ait: *Amen, amen dico vobis, q. d. certissime mihi credite et confidite me vos auditorum, etc.* Hac videtur caruisse Moyses in educatione aquæ de petra, ideo ad primum ictum non fluxit aqua; quia nimirum: *Distinxit in labiis suis,* Ps. CV. seu *dubius fuit,* ut habet ibi Græcus textus. Sed post, resumpta fiducia, ad secundum ictum fluxit, Num. XX. Sunt enim imprimis aliqui, qui nisi mox audiantur, statim diffidere incipiunt, et relicto Deo suo unico adjutore, ad auxilia alia et sæpe illicita confugiunt. Velut ægri aliqui, qui nisi a medico suo primo statim curentur pharmaco, mox alium accersunt; vel etiam imperitorum consiliis et remediis uti incipiunt. Hoccine vero non in despectum medici cedit? Nonne is merito postea ægrum deserit? Similiter non potest non ægerime ferre Deus, si homo confidat in homine et creaturis, earumque auxilium imploret, se relicto. Sane David sæpius inclusus erat, et jamjam in manus Saulis venturus, quia tamen in Deo fidebat, et ad orationem confugebat, semper incolumis evasit. Aliquando persequente ipsum Saule, intravit in speluncam Engaddi, 1. Reg. XXIV. Quid agis, David? Nonne in spelunca mox deprehendi potes et occidi? Confidebat certe non in umbra speluncæ, sed in umbra Dei potius. Unde tunc Psalmum LVI. recitans, hac de re ait: *Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Et transiit certe illic Saul cum suo exercitu, nec deprehendit Davidem in interiore spelunca latitantem; qua de causa? Subjungit David statim: *Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.* Ubi paraphrasis Chaldaica ita exponit: *Orabo coram Deo altissimo et forti, qui accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me.* Quo nimirum Saul arguere non posset aliquem intro esse; id quod etiam S. Felici martyri Nolano persecutionem fugienti divinitus accidisse legimus. Quod si de Davide quoque verum, vide quid potuerit ejus in orando fiducia. Simili fiducia præditæ fuere, et obtinere postulata duæ illæ viduæ, quæ amissis filio et filia utraque ad statuam Virginis properat, et filium

ei ex brachiis extorquet, quoad suum recipiat. Illum lupus, hanc hostes in vincula rapuerant; nec mora, redditur utrique, illi filia a lupo, huic filius, reserante carcerem Deipara, apud Rad. p. II. virid. cap. V.

II. Quia forte non petimus ea, quæ postulare convenit. Unde dicitur: *Si quid petieritis.* Res enim temporales, et quæ ad salutem non pertinent, pro nihilo computat Sapiens et in omnibus videt vanitatem, Eccl. II. Quare ipse jussus aliquid petere a Deo quod vellet, petiit non rem inutilem, ut dies multos, divitias, animas inimicorum, sed sapientiam: unde factum, ut etiam terrena et minora omnia adjicerentur, III. Reg. III. Quod si inutilia et vilia petimus, injuriam facimus Deo, qui ditissimus est, princeps, et magna petere nos jussit; sicut non absque contemptu Alexandri magni Diogenes jussus ab eo petere quod vellet, petiit: *Ut procul a se recederet, ne solem sibi auferret,* volens per hoc opes ejus contemnere. Idem faciunt Deo, qui inania petunt, quasi Dei divitias contemnunt. Idem Alexander M. donans Perillo quinquaginta talenta argenti, dicente Perillo, sufficere sibi decem respondit: *Tibi quidem sat est accipere, sed mihi non sat est dare,* Plutarch. in apoph. Igitur et a Deo ea petenda sunt, quæ divina munificentia digna sunt: bona nimirum solida et cœlestia. « Rex noster, inquit S. Basilius, cap. II. constit. monast. munificentissimus est, et augustissimus, et indigne fert, quandocumque quis exiguum aliquid a se petit, quandocumque quis nostrum de rebus ipsum minime ipsi convenientibus rogat. » Intellexit hoc etiam vir ille bonus, qui (recenset Salmeron, tom. X. tract. XI. p. CIII.) precum locum recitavit viginti quatuor elementa litterarum, cum hac clausula: *Domine, junge litteras, et a te peto quod tibi magis placet, et mihi magis expedit. Quid autem sit illud, tu melius nosti.* Petierant jam dudum aliqua discipuli a Christo, velut Jacobus et Joannes, ut sedere possent ad ejus dexteram in regno ejus (quod putabant fore terrenum) et tamen eis dicit hodie Christus: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo,* quia scilicet illud nihil erat, terrenum et fluxum erat. Hinc in oratione Dominica: « Nulla divitiarum petitio, inquit Cassianus, collat. IX. c. XXIV. nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis seu temporales vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult a se, nihil vile, nihil temporale, eternitatum conditor implorari. Itaque magnificentia ejus ac munificentia maximam irrogabit injuriam, quisquis his sempiternis petitionibus prætermisissis transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare: et offensam

potius quam propitiationem iudicis sui vilitate orationis incurret. »

III. Quia forte non ferventer petimus. Unde ait: *Petieritis*, et alibi: *Petite, quærite et pulsate*: jubens per hoc serio, instanter, ferventer petere. Alioquin enim censetur orans Dei dona vilipendere, quasi ei per jocum tantum petat, velut si quis mitteret famulum suum ad regem, ut ab eo peteret mille florenulos ad reparationem domus suæ quæ incendio perierit. Nonne hic dupliciter peccaret, et regem luderet, donumque ejus vilipenderet? Primo, quia non per se, sed per famulum petit. Secundo, quia rem tantam dimittit: similiter orans si ore tantum, non item spiritu orat, famulum ad Deum mittit, quasi Dei dona exigua et florenuli solum essent. Non ita David, qui ait: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Ut enim thus non ascendit sursum nec odorem spargit, nisi in igne positum, sic oratio nisi ex ferventi corde procedens, non dirigatur ad Deum nec penetrat cælum. Audi Bernardum, serm. XVI. in Ps. Qui habitat. « Merito non exauditur qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut trepide postulans et remisse, siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus; e regione remissa intentio, vox submissa. Ut autem clamandum sibi noverit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem, in cælis esse protinus admonetur, quod videlicet impetu quodam spiritus illo sibi jaculandam esse meminerit orationem, etc. » Et paulo infra: « Hic est, quod Moyses foris tacens, intus auditur dicente Domino: Quid clamas ad me? » Hæc ille. Clamores ergo isti non tam oris quam cordis intelligendi sunt, quales sunt lacrymæ, gemitus, suspiria, ignita desideria. Hæc sunt quæ Domino omnia persuadent: non egemus Demosthenis aut Ciceronis eloquentia, longis et exquisitis sermonibus: *Sed desiderium pauperum exaudivit Dominus*, inquit David, Psal. X. quia pauperes instanter et ferventer rogant. Placent etiam Deo, qui simplici et recto corde orant, quemadmodum sancti illi viri apud Raderum, II. p. viridarii, cap. V. quorum alius simplex et rudis orans dicebat: *Miserere tui Deus*, non intelligens quæ dicebat. Et adeo grata tamen ejus oratio erat Deo, ut idem sicco pede maria et flumina calcasse memoretur. Alter S. Salaunus, qui prima ætate missus in ludum litterarium plus per omnem ætatem capere non potuit, quam salutationis angelicæ primas duas voces *Ave Maria*, quas domatim mendicans et orans semper replicabat: et in tantum hæc oratio placuit Deo, ut e mortui sepulcro creverit lilium candidissi-

sum, in cujus foliis inscripta erant solemnia illa Salauni verba: *Ave Maria*.

IV. Quia forte inimicitias cum Deo gerimus peccato adhærentes. Hoc notat Dominus cum ait: *Patrem*. Si enim tu filius non es, sed hostis Dei quomodo rogabis Deum Patrem? Unde Jeremias, Thren. III. ait: *Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus, ideo tu inexorabilis es. Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio*. Ecce quare interdum recludat se Dominus in cælis nec admittat orationes nostras. Intellexit hoc Bias Græciæ sapiens qui aliquando cum impiis et flagitiosis hominibus in navi periclitans, impiis deorum opem implorantibus: « Silete, inquit, ne dii vos nebulones hic navigare sentiant; siquidem Deus impiorum precibus irritatur magis ad vindictam, quam ad opitulandum flectitur, Laert. I. l. c. VI. Venerabilis Beda, in natali innocent. mart. ait: « Sicut juxta Dei sententiam vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo manet, non proficit; ita nihil proficit oratio illius, cujus adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore. Hinc Paulus, I. ad Timoth. II. ait: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus sine ira et disceptatione*. David quoque Psalm. LXV. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. In corde*, inquit, si nimirum adhuc placet peccatum. Die enim mihi, quæso, quomodo audieris a principe gratiam aliquam postulans, si manus sanguine filii ejus tinctas afferas? Atqui tu dum in peccatis persistis, manus pollutas habes sanguine filii Dei, quem offendisti. Unde Isa. II. dicitur: *Cum multiplicaveritis orationem non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenæ sunt*. Quomodo igitur tu oras: *Pater noster*, cum nolis esse filius? Quomodo: *Sanctificetur nomen tuum*, cum tu blasphemias jugiter tota die? Quomodo: *Adveniat regnum tuum*, cum tu id non desideres, sed ad infernum properes? Quomodo: *Fiat voluntas tua*, cum eam nunquam facias? Quomodo: *Panem nostrum*, etc. cum tu pauperibus eum subtrahas? Quomodo: *Dimitte nobis debita nostra*, etc. cum non dimittas inimico tuo? Quomodo: *Et ne nos inducas*, etc. cum tu tot peccandi occasionibus ultro te exponas? Quomodo: *Libera nos a malo*, cum tu ipse liberari nolis? Quid aliud sunt hæc petitiones, quam pestilens quidam foetensque halitus ex ore tuo egrediens? Cum quis tibi loqui vult, cujus os foetidum expirat halitum, eum sane non libenter audis, sed adversaris. Ita puta et Deum horrere tuam loquelam, cujus os tam turpiter fetet. Unde Thren. III. dicitur: *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio*, peccatorum scilicet. Ideo orat David, Psalm. CXLVI. *Dirigatur, domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Incen-

sum non ascendit nec suaviter olet, nisi igne inflammatum; ita nec oratio tua Deo placita erit, nisi charitate ardeat.

V. Quia forte non ea quæ nobis sunt utilia petimus sed noxia potius. Hunc defectum insinuat Dominus, cum ait: « In nomine meo, nomen Filii Jesus est, inquit S. Greg. hom. XXVII. in evang. Jesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur; ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Non, si id quod non expedit, petitur; non in nomine Jesu petitur Pater. Unde et eisdem apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: Usque modo non petistis quicquam in nomine meo; ac si aperte diceretur: Non petistis in nomine Salvatoris, qui nescitis quærere æternam salutem. Hinc est, quod et Paulus non exauditur; quia si liberaretur a tentatione, ei non prodesset ad salutem. Ecce vidimus, fratres charissimi, quam multi ad solemnitatem martyris convenitis, genua flectitis, pectus tunditis, voces orationis, ac confessionis emittitis, faciem lacrymis rigatis. Sed pensate quæso petitiones vestras; videte si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu, Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum, etc. » Idem testantur alii sancti patres S. Augustinus, epist. XXXIV. ad Paulinum: *Bonus Dominus*, inquit, *qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod malumus atriduat*: S. Isidorus: libro III. de summo bono, cap. VII. *Multos*, inquit, *Deus non exaudit ad voluntatem ut exaudiat ad salutem*: S. Bernardus, sermon. contra vitium ingrati: *Misericordiarum res est, ait, hac in parte subtrahere Deum misericordiam*. Atque eo pertinent verba apostoli Jacobi, capite IV. *Petitis et non accipitis eo quod male petatis, ut in concupiscentiis*, (Græce voluptatibus) *vestris insumatis*. Scimus in Judæos, qui carnes importune concupierunt et impetrarunt, plagam ignis mox desævisse, ideoque locum illum appellatum esse *sepulcra concupiscentiarum*, Numer. XI. Intellexerunt hoc et gentiles. Platonis oratio erat: « Jupiter, da nobis bona, sive ea petamus, sive non; arce vero mala, etiam si ea ex errore petamus. » « Socrates, inquit Valer. Maxim. lib. VII. cap. II. humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent; quia si demum scirent, quid unicuique esset utile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris involuta, mortalium mens, in

quam late patentem errorem cæcas præcationes tuas spargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt; honores concupiscis, qui complures pessumdederunt; regna tecum ipso volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur; splendidis conjugii injicis manus, at hæc ut aliquando illustrent, ita nonnquam funditus domos evertunt. Desine ista stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cælestium arbitrio permittite: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. » Hinc non miremur, si interdum petita non acquirimus, quia ea in melius convertit Deus, atque adeo plus quam nos velimus audiri nos audit: quemadmodum, si puerulus petens cultrum velit sibi scindere panem, pater non quidem dat cultrum, sed ipse eum arripit, eique panem scindit, timens ne puer cultro seipsum lædat. Simili modo ægroti petunt hæc et hæc a medico, plerumque sibi noxia, quæ medicus quidem promittit; sed dat ad sanitatem, non ad voluntatem. Hoc ergo pacto, etsi non petitio, desiderium tamen nostrum auditur a Deo. Nam si petitionem nudam consideremus, dæmones exaudit, (ut observat Augustinus, tract. VI. ep. Joannis) cum petierunt, ut sibi Job tentare, et in porcos ingredi liceret, non audivit Paulum petentem ut stimulus carnis ab eo auferretur. Non dubitandum tamen quin secretorie quodam modo magis apostolum audierit quam diabolus. Unde Augustin. ibi ait: « Paulus ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus. Diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem: » et mox: « Imo apostolus exauditus est, dæmones non sunt exaudit: dæmonum voluntas facta est, Pauli sanitas perfecta est. »

Denique, hic orandi (per Jesum) titulus recte figuratur et explicatur per vestem illam Esau, qua indutus Jacob benedictionem patris obtinuit, Gen. XXVII. Dum enim in Christi nomine petimus, ipsum quasi induti representamus. Sed notandum est induere debuisse Jacob vestem illam, et ita personam Esau atque odorem vestimenti ejus representare: alioquin enim si vestes illas in fascem colligatas tantum attulisset nihil obtinisset. Simili modo qui in nomine Christi vult obtinere benedictionem, personam Christi et virtutum ejus odores representet; quod faciet, si conabitur ad eum modum orare, quo Christo oravit Patrem. Is enim non nudam orationem fecit, sed eam plurimis ornavit virtutibus: humilitate, quia procidit in genua, perseverantia, quia ter eandem repetit orationem; obedientia et resignatione, quia voluntatem non suam sed Patris fieri voluit; attentione, quia se-

creto et in secessu oravit; fervore, quia usque ad sudorem sanguinum, etc.

CONCIO V.

CIRCUMSTANTIAE ORATIONIS.

I. Quis orandus. — II. Quis debet orare. — III. Quando orandum. — IV. Quoties orandum. — V. Quid petendum. — VI. Quomodo petendum. — VII. Ubi orandum.

THEMA.

Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Joan. XVI.

Lib. 1. Reg. c. XVII. Quando congressurus erat David cum Goliatho: *Induit eum Saul vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cepit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia non usum habeo.* Dominus noster hominierno in evangelio simili modo nos armis præclarissimis iisque suis induit, cum jubet, ut in nomine ejus petamus quidquid volumus. Sed quemadmodum non omnes sciunt tractare arma, ita vereor ne aliqui sunt Christiani, qui his etiam orationis armis uti nesciant, quia scilicet usum non habent orandi. Quid autem juvat habere balistam, et nescire artem jaculandi? Qui juvat habere clavem omnes aperientem seras, et nescire modum aperiendi? Itaque cum his rogationum diebus ad prælium orationis egressuri simus, prius videbimus et discemus quis, quo, quid, quando, quoties, quomodo, et ubi sit orandum.

I. Quis orandus? Resp. Deus proprie loquendo solus, tamquam unicus dator bonorum supernaturalium gratiæ et gloriæ, quæ solum secundum se peti debent. Unde apostolus Jacobus ait: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Ideoque Ecclesia omnes orationes, quas in missa et horariis precibus fundit immediate ad Deum dirigit, non ad sanctos (etiam in sanctorum festivitibus): annectit tamen et includit sanctorum nomina et memoriam, ut per eos velut Dei amicos et potentes intercessores facilius impetret. Minus proprie etiam sancti possunt orari (juxta id Job V. *Ad aliquem sanctorum convertere*) tamquam interpellatores et sollicitatores; quomodo habemus nostros advocatos ad cameram vel regimen aliquod qui causam nostram efficaciter proponant et agant, pro expeditione sollicitent, judices nobis concilient, etc. Si enim potuerunt orare pro hominibus dum viverent, quanto magis id poterunt, dum cum Deo jam

sunt, nec habent amplius necesse orare pro seipsis?

II. Quis debet orare? Respondeo, quisquis adhuc viator est. Justus primo, ut in justitia perseveret, sicut qui feliciter navigat, orat ut feliciter appellat; maximum enim sæpe periculum in appello: *Qui stat, videat, ne cadat*, 1. Cor. X. Secundo, quia: *Nescit homo utrum odio in amore dignus sit*, episcopo Laodicæ. scribit Joannes, Apoc. III. *Dicis quod dives sum et locupletatus et nullius egeo. Et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper, etc.* Idipsum tibi contingere potest, et quidem a potiori, si hoc contigit episcopo Ecclesiæ primitivæ tam sanctæ, si episcopo ab apostolis instituto. Tertio, quia quanto majora accepisti a Deo dona, tanto magis debes eum laudare et orare ut ea in te conservet, augeat, coronet; præterea ut proximo tuo eadem communicet.

Deinde, peccator, ut gratiam recuperet: velut naufragus ut manum ipsi Deus porrigat. Tametsi enim peccator suis operibus apud Deum nihil meretur de condigno; non tamen debet cessare ab oratione, sed utiliter orat. Primo, quia interim a peccatis abstinet. Secundo, quia per orationem paulatim præparatur ad immutandam pravam voluntatem suam: sicut qui pedetentim adrepit igni, paulatim calefit. Tertio, quia oratio non solum est meritoria, sed etiam impetratoria. Unde licet oratio peccatoris nil mereatur, potest tamen impetrare: ideoque S. Aug. 1. XL. homil. hom. XXIV. *Quid facimus, inquit, si peccatores Deus non exaudit? Date mihi, qui roget: ecce est qui exaudiat.* Ibidem et tract. XLIV. in Joan. verbum illud cæci nati: *Scimus quia peccatores Deus non audit* (Joan. IX.) verbum cæci fuisse affirmat, nondum satis illuminati, quia videbat oculis, sed corde adhuc non videbat, et subjungit: *Incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata vestra, orate ut depellantur, orate ut minuantur, orate ut vobis proficientibus ipsa deficient.* Sic ille.

III. Quando orandum? Respondeo primo, dum sanus es, congrega tibi per orationem ea, quibus eges: sicut formica in æstate congregat sibi victum, quia in hieme ægritudinis difficulter poteris orare, ubi corpus aggravat animam, ne per orationem levare se possit ad Deum. Sumptus bello necessarios congregant Veneti a subditis pacis tempore, relaxant vero tempore belli, ut refert Bembo, lib. VI. hist. Venet. I quamdiu sanus es, tandiu solve tributum orationum tuarum quotidianarum, ut habeas tempore morbi, unde opem speres. Ad hæc peccator ægrotans animadversione hac percussus ut vix memor sit sui, qui dum sanus esset memor non fuit Dei. Quare sapienter anteverit David

extremi illius temporis afflictionem, sic orans: *Ne derelinquas me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, Psalm. LXX.

Secundo, tempore tentationis maxime; ut enim nautæ tunc maxime laborant, remigantque cum pons aliquis vel locus periculosus transeundus est: ita tentationis tempore maxime orandum. Quod si in periculo naufragii discunt et incipiunt orare etiam perditissimi quique: multo magis id necessarium cum periclitatur animæ salus. Rursum tempore tribulationis, et cum ob publicam necessitatem, supplicationes vel comprecationes instituuntur, uti his diebus fieri solet. Tunc enim nemo esse debet, qui orationibus non vacet: ne alioqui cum Jona dormiente in tempestate, dum alii omnes clamarent ad deos suos audiat quis illam increpationem: *Quid tu sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum*, Jonæ 1.

Tertio, non intempestive, quando alteri negotio magis utili aut necessario vacandum est: uti sub concione. Diaboli enim hæc ars est, suffurari homini verbi Dei auditum prætextu orationis; sicut auceps ut auferat falconi prædam delicatam et vivam cum astu substituit ei carnem vilem et exsanguem. Verbi Dei perceptio delicata et vivax animæ esca est, oratio vilior et inefficacior: quæ nequaquam ita movet aut vivificat animam, uti verbum Dei.

IV. Quoties? Respondeo Sapiens, Eccl. XVIII. *Non impediaris orare semper*: et Dominus Luc. XVIII. *Oportet semper orare, et non deficere*: et c. XXI. *Vigilate omni tempore orantes*: et apostolus 1. Thess. V. *Sine intermissione orate*. Ex quibus locis patet imprimis quanta nobis omnibus incumbat necessitas frequenter orandi, non solum monarchis et sacerdotibus. Sed quomodo, inquit, semper orare possumus? Respondeo primo, non intelligendum hoc mathematicè, ita ut nec ad momentum cessare ab oratione debeamus, sed moraliter, ita ut sæpissime et quantum fieri potest diligentissime instemus orationi, tamquam rei imprimis necessariæ. Sicut tempore pestis suaderi solet, ut nunquam simus inani stomacho, sed curemus ut semper aliquid comedamus vel bibamus, mane, meridie, vespere, etc. Id quod sedulo faciebat David rex, licet regiis occupatus negotiis qui Ps. LXII. ait: *Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te?* et Ps. LIV. *Ego autem ad Dominum clamavi et Dominus salvabit me. Vespere et mane meridie narrabo et annuntiabo et exaudiet vocem meam.* Sic Daniel ter in die orabat, Dan. VI.

Secundo si vere Deum et ardentè amaremus, facile possemus omni tempore orare; si nimirum

mentem semper ad Deum haberemus erectam. Quis enim nescit amantem fere semper esse ubi amat? *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Sic monet facere S. Basilius, orat. in Julittam: *Accumbens mensæ, ora, inquit, esurus panem, largitori gratiam rependito. Sufficiens firmansque infirmiores corporis vires vinò, ejus fac memineris qui hoc te dono impertivit ad inferendam cordi tuo lætitiæ et ad multiplicium infirmitatum non mediocri solamen. Nulla tibi est sumendi edulii necessitas? Cave te prætereat ejus memoria: cujus liberali beneficio explesti ventrem. Tunicam indueris? Gratias ago benigno datori. Amiciris pallio? Fac in te augeat intensior erga Deum charitas, qui contegumenta gratuito largitus est hiemi æstatique accommoda, quibus et vita conservetur, et obveletur turpitudine. Tibine dies expletus abiit? Illi referto gratias, qui solem quidem nobis nihil tale commeritis indulsit in divinæ operationis mysterium: ignem vero intulit illustrandæ nocti utque subserviat reliquis vitæ commoditatibus. Ipsa rursus nox alias ad orationem suggerere poterit occasiones.* Hæc magnus Basilius. Semper etiam orabis, si subinde per quædam intervalla, breviculam ad Deum orationem dirigas; non secus ac columbæ oculos crebro in cælum attollunt, vel etiam simul oblectes te pio quodam cantico. Si enim inter laborandum difficile non est mundanis canere profana cantica et amatoria, fabulas narrare, etc. cur non possis eadem opera, spirituale quid loqui vel cantare? Certe S. Hier. tempore: *In Christi villula quocumque te vertisses, arator stivam tenens, Alleluia decantabat, sudans messor psalmis se avocabat, et curva attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum canebat,* ut testatur ipse in ep. ad Marcellam. Quare cum surgis, vel quid aliud incipis, dic: *Quod Deus bene vertat.* Cum audis horam, dic more Helvetiorum: *Sit nobis hora felix, etc.* Semper etiam orat qui bene operatur: ita August. in illud Psalmi: *Tota diè laudem tuam.* Vis, inquit, *medium semper laudanti? Quicquid egeris, bene age, et laudasti Deum.* Idem prorsus S. Hilarius, in Ps. 1. *Per hoc enim, inquit, efficitur, ut sine intermissione oremus; cum per opera Deo placita, et in gloriam ejus semper exercita, sancti cujusque viri vita omnis, oratio sit: ac si secundum legem nocte dieque vivendo, vita ipsa nocturna legis erit et diurna meditatio:* et S. Hier. in versum illum: *Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellæ et lumen; quærit quomodo hæc omnia laudent Deum et respondet: In eo, quod a suo officio et servitio non recedunt; servitium ipsorum, laus Dei est.* Ita agebat abbas Lucius qui dicebat: *Ego statis horis oro, dein manibus laborans ad Deum*